



Universitätsbibliothek Paderborn

Sancti Agobardi Archiepiscopi Lvgdvnensis Opera

Sancti Agobardi Archiepiscopi Lvgdvnensis Opervm ...

Agobardus <Lugdunensis>

Parisiis, 1666

III. Iudicium latum adversùs Gundī sanctimoniale anno DCCCLXXIV. Ex
Chartulario monasterij Casauriensis, cuius mihi copiam fecit vir clarissimus
Antonius Vion Herovallius. Causa Gundī, quae post ...

urn:nbn:de:hbz:466:1-14657

I I I.

Iudicium latum adversus Gundi sanctimoniale anno DCCCLXXIV.

*Ex Chartulario monasterij Casauriensis,
cujus mihi copiam fecit vir clarissimus
Antonius Vion Herovallius.*

Causa Gundi, quæ post votum religionis Sisenando nupsit illicitè.

DV M Domnus Ludouicus gloriosus Imperator de partibus Beneventi reverteretur , & venisset ad monasterium sanctæ Trinitatis , quod est constructum in insula quæ vocatur Cäsa aurea , quod ipse Augustus à fundamentis ædificare disposuit in finibus Pinnensis , & ibi per ejusdem Augusti iussionem intus eodem monasterio in judicio residerem ego Heribaldus Comes in vice Comitis Palatij ad singulorum hominum justitias faciendas vel deliberandas , residentibus [mecum Rainaldo & Erifredo & Capirando Bassis Domni Imperatoris , Adelberto , Iohanne , Maiolfo Iudicibus , Allone , Sindolfo , Sindeperto , Liuteri , & reliquis multis. Ibique nostri veniens præsentia Maio de Piscaria Advocatus Domni Imperatoris , necnon & Sisenandus ex genere Francorum , altercationem inter se habentes. Dicebat ipse Maius Advocatus. Iste Sisenandus habet vxorem Gundi , quæ fuit veste & velamine sanctæ Dei genitricis Mariæ induta ; & postea , ut dixi , iste Sisenandus eam sibi in conjugio sociavit , & adhuc eam illicitè habet. Vnde secundum legem persona ejus simul & substantia parti Palatij pertinere debet. Vnde quæro à parte Domni Imperatoris habere justitiam. Respondit ipse Sisenandus. Verè ipsam Gundi uxorem habeo , quod mihi ad legitimum matrimonium tradidit Amelfredus filius ejus cum mundualdo suo. Et illud quod dicis , quod vestre religionis induta post mortem Iustonis , qui fuit anterior vir ejus , non est veritas. Cùm taliter agerentur ,

diximus ipsi Maioni Advocato si taliter per testes aut inquisitionem probare posset quod veste & velamine induita fuisset, & postea ipsum Sisenandum in virum sibi sociasset. Qui dixit quod taliter per inquisitionem clarescere posset. Et taliter ipse Maio per inquisitionem & per idoneos homines guadiam dedit ad probandum. Et ipse Sisenandus dedit guadiam ipsam Gundi uxorem suam ad placitum adducendam unam simul cum Amelfredo filio & mundaldo suo, quem dicebat ei ad uxorem eam tradidisse, posito inter eos constituto. In statuta vero die venerunt ipse Maio Advocatus, simul & ipse Sisenandus, cum ipsa Gundi uxore sua, & Amelfredo filio ejus, nostri coram supra praesentia: ubi in judicio residebam intus eodem monasterio, residente nobiscum Grimaldo venerabili Episcopo, Geraldo, & Aloardo, Henrico, & reliquis multis. Et coepit dicere ipse Sisenandus. Iste Maius Advocatus hic in judicio vestri praesentia mallavit me ut ego haberem uxorem Gundi, & fuisset veste & velamine induita, & postea ego in uxorem mihi sociassem. Et ego negavi quod verum non fuisset quod aliquando velata fuisset. Et dixi quod mihi eam ad uxorem tradidisset Amelfredus filius & mundaldus ejus. Iudicatum mihi fuit eam cum praedicto filio suo ad placitum adducendam. Et taliter guadiam dedi. Et ipse Maio dedit mihi guadiam per idoneos homines circummanentes ad inquisitionem probare qualiter postquam velata fuisset, ego uxorem sociassem. Repli- cans ipse Maio. Verè omnia. Taliter inter nos actum & guadiatum fuit. Et hodie exinde iter nos statutum placitum habemus. Et ecce omnes ipsi qui hoc sciunt, ad praesens sunt. Et statim eos denominavit. Hi sunt, Grimaldus Episcopus, Erifredus, Ainardus, Sindolfus, Optreramus, Maiolfus, Aloini, Garifuso, Sindepertus, Galderamo, Sinderado, Godo, Vvinipertus, Petronaci, Lustinus, Gisolfus, & Rimo. In primis Grimaldus Episcopus dixit. Scio quia ista Gundi post mortem Iustonis vixi sui ante meam venit praesentiam, & sua bona & spontanea voluntate vestem & velamen sanctae Dei genitricis Mariæ super se induit, & eam velatam vidi. Erifredus & Rainardus adjurati in fide & sacramento quod Domino Imperatori promissum habebant, similiter dixerunt quod vestem & velamen eam indutam vidissent. Isti & alij.

A C T O R V M V E T E R V M . 161

& alij omnes supradieti similiter dixerunt quod eam velatam vidissent. Et qualiter dixerunt, ad sancta Dei Evangelia juraverunt quod veritatem dicerent. Hac inquisitione facta, tunc nos qui supra auditores interrogavimus ipsum Sisenandum & predictam Gundi quid contra inquisitionem ipsam dicere vellent, aut si veritatem testificaverunt aut non, vel si ipsi omnia dixissent. Qui dixerunt quod adversus ipsam inquisitionem nihil dicere vellent, eò quod non possent, & veraciter testificaverunt, & idonei sunt. Et ipse Amelfredus professus fuit quod ei eam ad legitimum ipsam Gundi uxorem suam tradidisset matrimonium. Cum haec omnia taliter factum & adimplectum fuisse, paruit nobis omnibus qui supra auditoribus esse rectum. Et judicavimus ut juxta legem, & secundum dictam inquisitionem, ipsam Gundis & omnes redditus & substantiam suam pertinere parti Palatij. Et ipse Sisenandus daret guadiam de solidis sexcentis. Et predictus Amelfredus mundualdus, qui in hac illicita coniunctione consentiens fuit, & eam tradidit, daret guadiam de solidis centum quinquaginta. Quod factum est, & definitum est. Et hanc notitiam prosecutate Domini Imperatoris scripsi ego Garifuso Notarius in anno Domni Ludovici Imperatoris xxiv. mense Decembri, per Indictionem vii. † Signum manus Heribaldi Vicecomitis Palatij, qui ibi fui. † Ego Erifredus ibi fui. † Ego Aloini ibi fui. † Ego Sindolfus ibi fui. † Ego Maiolfus ibi fui. † Ego Liuteri ibi fui. † Ego Maiepertus ibi fui. † Ego Adelpertus ibi fui.

I V.

Ex Praecepto Ludovici II. Imperatoris,
per quod monasterio Casauriensi
donat nonnullas res.

Ex eodem Chartulario, unde etiam editum
est Tom. v. Spicilegij pag. 379.

N E C N O N etiam & res quae fuerunt Gundi uxoris Iustoni, id est, Curte de Monatiano, & cuncta
E e